Quelle: http://manuscripta.at/?ID=32270
Copyright: Lilienfeld, Zisterzienserstift

visendi gratia iter perrexit. et veniens ad illum in supradicta heremo. et illum et locum pio venerabatur affectu. dans ad ecclesiam quam sanctus Rudbertus ibi construxerat ac ipso duce presente in honore sancti Maximiliani dedicavit. tria miliaria undique de eadem silva et villam Albinam cum ceteris donariis in matrimonium monachorum. quos sanctus pontifex ibi deo serviendum posuerat.

His ita gestis. videns vir dei baivarice dignitatis culmen iugo Christi sese subdidisse: sed gentilitatis errore plures involutos superesse: ad patriam repedavit. et inde cum .xii. ad predicandum sibi sociis electis. inter quos erant eximii viri sanctus Kunialdus. et sanctus Gisilarius ambo presbiteri. ambo viri sancti. et secum virginem Christi sanctam Erentrudem neptem suam adducens. cum tot luminaribus ad urbem iuvavensem regreditur. Ibi in superiori castro eiusdem civitatis construxit in honore domini nostri Ihesu Christi. et sue sancte genitricis perpetue virginis Marie monasterium et ibidem cum congregatione sanctimonialium (al. monacharum) posuit sanctam Erentrudem ad famulatum celestis regis. atque cum Theodoberti ducis astipulatione: quas possessiones ad illud cenobium tradidit infinitas. earum confirmatione per omnia terminabiliter disposuit. His autem expletis. iste vir beatus inceptum opus predicationis cum summi opificis adiutorio studens ad perfectionem perducere. norica regna discipulorum suorum comitante caterva circuire destinavit. et ab urbe egrediens iuvavensi. gentes quibus nondum fidei lumen resplenduit visitavit. et eis triticum credulitatis lolio penitus seminavit. Nam accedentibus eorum barbaricis hospitibus diabolice deceptionis prestabatur. illuc intromisit fidem: castitatem: misericordiam. humilitatem. per quos pacificos habitatores Christus omnium bonorum largitor et origo. humane mentis domicilium inire solet. Cumque sic bawariorum terminos circuiret. ac omnes ad fidem convertisset. eos ut in fide stabiles permanerent admonuit. et dimissis presbiteris qui populum ad divina mysteria confirmarent. ipse ad urbem iuvavensem remeavit. quia spiritu prophetico repletus diem vocationis sue instare presciuit. quem discipulis suis prenuntiavit. In tali et tam tristi iudicio consternati. cur eos et tam novelle christianitatis plebem desereret. lacrimantes.

Ille spe erecta ad Christum. urbem iuvavensem et populum noricorum omnipotenti deo commendavit. et vitalem virum sanctum et omni populo acceptum sibi successorem elegit. Cumque dies quadragesimalis observantie agerentur. febrium ardore vir dei fatigari cepit. Cumque sanctissima dies resurrectionis Christi illuxisset. sollempnia missarum celebravit. et munitus sacrosancto corporis et sanguinis Christi viatico. post dulces paterne pietatis ammonitiones. et post extrema karitatis verba fidem confirmantia inter sanctas manus lacrimantium voces. inter pios plangentium singultus. cetus angelici a quibusdam religiosis in celo audiebantur. qui voce canora animam suam ferebant ad eternam felicitatem. Cum autem sacratissimum corpus eius ad humandum portaretur. visi sunt adesse splendidissimi viri. candidissimis stolis amicti. et eius sepulturam religiosissime complentes disparuerunt. Quos nemo dubitavit angelos dei fuisse: et ideo apparuisse ut omnes agnoscerent. quanta illius esset beatitudo in celis. cuius sepulchrum angeli dei visitarent in terris.

O felix ergo eadem civitas iuvavo. tam excellenti munita patrono. que si murorum tutamine vilescas. illius tamen meritorum lumine clarescis. Sed totus per eius intercessionem securitatis gaudeat populus noricorum. et omnipotenti deo laudes deferat perpetuas. qui tam preclarum illis concessit doctorem: cuius predicatione viam veritatis agnoscentes. erepti sunt de tenebris ad lumen verum. Ihesum Christum dominum nostrum qui vivit et regnat per infinita secula seculorum. Amen.

Prologus beati Jeronimi presbiteri in vitam sancti Johannis primi heremite:

BENEDICTUS Dominus deus qui vult omnes homines salvos fieri. et ad agnitionem veritatis venire: qui et nostrum iter direxit ad egyptum. et ostendit nobis mirabilia magna ad posteritatis memoriam